

libera, aliaque accidentia inter nos pariter convenissent, quemadmodum, nisi fallor, et animi et studia convenirent! profecto is solus fueras, cuius sodalitus nisi respuisses, cuius convictu ni contempsisses, aliis posthabitis usus essem. Nunc autem, ut nosti,
 50 longe impar est conditio utriusque. Doleo, nec aliud quam dolere possum, et ne tibi adulatam putes, nunquam in patria mea, ubi primitias etatis egi, nunquam in tua, ubi aliquamdiu vixi, contigit michi hominem invenire, cuius mores, studia, affabilitas, omnis denique vita, ita ut tua, cum mea natura congruerent. Posset forte michi obici, quod singularis essem, quod non penuria hominum, sed culpa mea in huiusmodi posset negotio afferre disturbium. Quicquid sit, fateor, bonus non sum; non sum, iterum fateor, at certe bonorum cultor sum, et virtuose secte devotus, quaecunque
 60 illa sit, Gulfa an Gibilina, ut aiunt vulgo. Porro quod me colis, quod nomen meum celebre facias, id ex humanitate et mansuetudine tibi innata provenit, non ex mea virtute, qui nullus sum penitus, vel que nulla penitus est, et in tenebris vitam ago, utpote qui circa vilia quedam longe dissimilia exercitationibus tuis quotidie versor. Vaco enim circa plebeia officia plurimum exosa menti mee, si licet verum expromere, et, cum ad aliquam operam altioris negotii forte sit ingenium aptius, ociosus transeo etiam in labore, ita ut si quis ocii mei causam quereret, possem respondere illud, quod apud Matheum, ut credo, egregius ille Operarius ponitur re-
 70 spondisse, quia scilicet nemo me conduxit, nec scio an circa horam undecimam inveniam. Sic est: nunquam fortunam repperi nature mee concordem, certe nec repperire me spero, adeo perverse aguntur vices humane. Scio tamen clariora multorum opera in obscuro iacere adversante fortuna, sine qua fas non est quicquam feliciter attentare in rebus humanis.

Math. 20, 7.

Sed placet michi quod placet Deo, et in hoc me bene compositum sentio, quod in dies magis atque magis michi fit ludus quicquid in terris agitur, et cum usque ad paucos annos comite vita iuveniles annos pregressus ad aciem senilem migravero, spero quod
 80 vana fient michi quaecunque vulgo magna videntur. Nempe frivola sunt et caduca omnia facta nostra. Itaque miror et quid sibi vellint nescio infelices aliqui senes, qui nunquam nisi in servitute et mi-

⁵⁴ *Cod.* nuquam.⁵⁸ at] *ac cod.*⁷⁷ *interius cod.*